



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres

Tylkowski, Wojciech

Oliva, 1686

X. Confessores Beatam dicunt. Quia preces illorum Deo offert.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

Virginitatis, Sceptrum rectæ Doctrinæ, Templum insolubile. Nam ut *Proclus Archiep. Constantinop. hom. in Nativ.* Hæc illibata Virginitatis purus ille Thefaurus, Decusque & Ornamentum. *Albertus M. in S. Lucam.* Maria interpretatur amarum Mare, quia noxias delectationes nostras, ut amarum mare amaricat abundanter, terrenas voluptates carnisque illecebras, ac delectationes ita amaras reddit, ut omnes ab illis abhorreamus.

Hinc dixit *Damasc. orat. 1. de Nativ. Deip.* Tu Virginitatis feracissima Planta: per te enim Virginitatis pulchritudo latè se diffundit. Et consilium suggerit *Alb. M. in Luc.* Si illecebræ carnis te trahant, & superantes jam ad illicitas delectationes te propellant, baptisa te in amaritudine maris, & nomina Mariam, & sic pro certo in te ipso experieris, quod justè vocatum est nomen Virginis Maria. *Buteo in hymno.* Corona Virginitatis. *Ambros. lib. 2. de Virg.* Disciplina omnium Virginitum. *Idesons. cap. 10. de Virg. B. V.* Æternitas Virginitatis. *Giselb. Altercat. cap. 19.* Princeps Virginitum prævia. *Bonav. in Psalt. min.* Flos Regalis. *Sergius Hierapol. orat. de Nativ. B. Virginis.* Decus singulare & Ornamentum Virginitatis. *S. Ephrem de laud. B. V.* Corona Virginitum ob immensum fulgorem, & splendorem inaccessa. *Richard. à S. Lauy. lib. 4. pag. 234.* Signifera & Exemplar Virginitatis. *Eucherius Presbyter.* Complémentum puritatis, & virtutis.

Audiamus jam *Chrysostomum* qui *serm. de B. Virgine* adhortatur. Quæcunque estis Virgines ad Matrem Domini confugite, illa enim pulcherrimam, pretiosissimam, & incorruptibilem possessionem vobis patrocinio suo conservabit. Causam etiam supradictorum dat. *S. Thomas in 3. p. dist. 3. q. 1. art. 2. q. 1. ode 4.* Gratia sanctificationis in B. Virgine non tantùm repressit in ea motus illicitos, sed etiam in alijs efficaciam habuit, ita ut quamvis esset pulchra, à nullo unquam potuit concupisci. Et ut citatus *Alensis 3. p. q. 9. n. 2. art. 5.* Beata Virgo suo aspectu concupiscentiæ motus extinxit.

10. Confessores Beatam dicunt.
Quia preces illorum Deo offert.

Venite invitat *S. Sabbas 3. Jan. ode 9. Men.* atque omnes mentibus puris intaminatisque labijs gloriosè laudemus illam Emanuuelis intemeratam ac super omnes Virgines purissimam Matrem; sacrificia Deo ex illa nato per eandem offerentes. *Andr. Cret. orat. 2. de dormit. B. Virg.* Precibus nostris misericorditer annuens (Deus) respondet, & per illam tanquam per Advocatricem orationes nostras

nostras exaudit. S. Virgo est Templum illud Salomonicum, ut *Richard. à S. Laur. lib. 2. de laud. Virg. partic. 5. ait.* Maria designata est per templum Salomonianis, de quo dicit Dominus 2. Paralip. 7. *Oculi mei erunt aperti, & aures meae erunt erectae, ad orationem ejus qui in loco isto oraverit, & sanctificavi locum istum.* Isaia 60. *Offerretur super placabilem altari meo.* *Richard. à S. Laur. lib. 2. de laud. Virg. partic. 5.* Maria dicitur Altare placationis, cum super hoc altare offerunt dona & sacrificia sua. *Guerricus Abbas serm. 2. de Assumpt. V.* inducit Deum sic loquentem. *Veni Electa mea, ponam in te thronum meum, in te quandam mihi sedem regni constituam, de te judicia decernam, per te preces exaudiam.*

Bernard. de Nativ. B. Virginis in sine. Non impotens erat Deus, & sine lacu aquae ductu, id est sine Maria infundere gratiam prout vellet, sed tibi vehiculum voluit providere; forte enim manus tuae aut sanguine plenae, aut infectae manibus, quod non eas ab omni munere excusasti, ideoque modicum istud quod offerri desideras, gratis illis, & omni acceptione dignissimis Mariae manibus offerendum cura, si non vis sustinere repulsam. Nimirum candidissima quaedam lilia sunt, nec caufabitur ille liliorum amator, inter lilia non inventum quidquid illi sit, quod inter Mariae manus invenerit. Sic *Levitici. 16.* Summus Sacerdos precaturus pro populo, prius Fumum incensi prae-mittebat, qui notabat Deum juxta *Richard. lib. 12.* Sic Daniel oraturus *Dan. 6.* Fenestram aperiebat, quae erat imago Divae nostrae juxta *August. serm. 15. de tempor.* Imò ipse Christus exemplum nobis orandi daturus in monte Oliveti orat, qui *Richard. lib. 8.* significat Sanctissimam, & dum in cruce pro genere humano sacrificaret Mariam sibi, nobis in exemplum adesse voluit.

Isaia quondam *cap. 6.* querebatur sua labia polluta, expurgavit Angelus calculo, quem de Altari tulit. Altare est Virgo Sancta. *Methodio orat. de Hyppolito.* flores sunt nostrae preces, sed meliores evadunt, ubi in Horto plantati fuerint, est teste *Ruperto in cant. 4.* Deipara. Etiam pavimento ipsum *3. Reg. 6.* templo auro rectum erat; ita qui in Deipara manet, esto pedibus sit calcandus instar pavimenti, inauratus fiet. *Albertus Magnus in Bibl. Max: ad Levit:* Regina mundi dicitur Officium praesentationis, ad quod omnis peccator praesentari debet. *Levit. Homo qui obtulerit hostiam Deo, ad placandum sibi Deum, offeret primo ad ostium tabernaculi,* id est ad Mariam.

Et ita faciebat *Henricus Suso* ut ipse fatetur. Cum surgo mane, ad te praesentem respicit anima mea, & cum sero dormitum ab eo, te postremam contemplantur, certa videlicet, quidquid purissimis manibus tuis oblatum fuerit, & commendatur.

mendatum, etiamsi in se ipso vile & exiguum sit, gratum & acceptum reddi apud Deum, idque obtuam Deo id exhibentis dignitatem; Neque enim rejici ullo modo potest, aut respui, quidquid ipsa utpotè purissima, charissimo Filio præsentaverit. Sed hic monet *Guilielmus parvus in cap. 3. Cantico: apud Delr:* Fædas petitiones Mater Filio non offert, nec suscipit offerendas.

CAPUT VII.

Beatam dicit Virginem omnis hominum generatio in particulari.

I. Beatam dicunt Sacerdotes.

Quia Mater Sacramentorum.

Mater est; omnes enim per baptismum nascimur filij Ecclesiæ. In hac aqua nos Petrus illius Præses piscatur. Atqui *Gullel. in cantic. 4.* Virginem sic alloquitur. De te fluxit fons hortorum, per te venit baptismum fidelium. Illa est Puteus aquarum viventium, id est largientium vitam, & salientium in vitam æternam. Illa est Mater Eucharistiæ, seu panis illius. *S. Maximus Taurinensis homil. de Dominica in Ratis.* Legimus in libro Moyse de manna vermiculos procreatos, digna sanè, & justa comparatio; siquidem de manna vermiculus gignitur, & Dominus Iesus de Virgine procreatur, quin potius ipsam Mariam Manna dixerim, quia est subtilis, splendida, suavis, & Virgo: quæ cælitus veniens cunctis Ecclesiarum populis cibum dulciorem melle defluxit. Illa juxta *Epiphani. orat. de laud. Deip.* Mensa fidei intellectualis, panem vitæ mundo suppeditans. De Sacramento Confirmationis videtur idem locutus *S. Epiphani. de laud. Virg.* B. Virgo Nubes est lucida, quæ fulgur de cælo lucidissimum ad illuminandum mundum deduxit Christum. Nubes cælestis quæ tonitruum Spiritus S. in se ipsa reconditum deduxit in mundum, & imbrem Spiritus S. in universam terram ad producendum fidei fructum cum impetu dimisit.

O 3

De